VANA DOCTRINÆ EMOLUMENTA,

ET

VARIA STUDIORUM INCOMMODA.

IN

Sermonem Breviter Digesta

ET

VERSU HEXAMETRO EXARATA.

A tenuis Parochiæ vicario, Librorum quorundam nuper Authore,
Sed emerito nunc, et obsoleto, T. S.

LONDINI:
Typis RICHARDI REILY, apud Authorem.
MDCCLII.

BRITISH MUSEUM

Extremum hoc Senectutis nostræ Opus-culum, *Vir mihi per quam colende*, Si Tibi in legendo non tam Fastidio, quam Oblectamento fuerit; Si Misericordiam & Benevolentiam tuam moverit, Id serio gaudebo,

Tibi Tuisque Devotissimus,

THO. STACKHOUSE.

THO. STACKHOUSE.

ECCLES. xii. 12.

Καὶ περισσὸν ἐξ αὐτῶν, υἱέ μου, φύλαξαι, τοῦ ποιῆσαι βιβλία πολλὰ οὐκ ἔστι περασμὸς, καὶ μελέτη πολλὴ κόπωσις σαρκός.

Ex his, fili mi, admonitus esto, faciendi libros multos nulla est finis, et lectio multorum fatigationi est carni.

QUÆ modo perlegi sunt dicta sagacia regis,
Davide qui genitus, *Judææ* sceptra tenebat,
Divitiis opibusque potens, præclarus et armis.
Hunc longè superâsse ferunt genus omne suorum
Dotibus ingenii; sed non et moribus: Illum
Illecebræ duxere malæ de tramite recto,
Virtutisque viis, primævo flore juventæ;
Sed revocare gardum monuit maturior ætas,
Et meliora sequi longa experientia suasit.
" Tu tamen, *O Princeps*, virtutis calle relicto,
" Dum vagus insequeris vanæ Ludibria vitæ,
" Quot tibi proponis methodos fugitiva sequendi
" Gaudia, quærendi et medicamina grata malorum,

" Quæ varias hominum ſortes vitamque laceſſant?
" (*a*) Tu tibi divitias, immenſum pondus et auri
" Argentique, cavis (quas *Geber* montibus altis
" Condideras, dederaſque omnes errare per oras)
" Navibus advectas: Gazas, ſpolia ampla reportans,
" Congeris et varias, quas parturit Orbis Eous.
" O curas hominum vanas! (ut tute reclamas)
" (*b*) Quorſum divitiæ, multo ſudore petitæ,
" Hæredi fatuo linquendæ? (*c*) Lumina paſcunt
" Paulatim ſplendore ſuo, non amplius atqui
" Quid conferre valent; (*d*) avidæ ſaturantur at aures
" Auditu nunquam, nunquam quoque lumina viſu.
" Tu, variis cupiens factis extendere famam,
" (*e*) Oppida moliris, turres, et tecta domorum
" Tollis in aſtra; Deoque ſtruis ſacraria templi
" Inclyta, quæ præſens, et quæ mirabitur ætas
" Poſtera perpetuò, manuum monumenta tuarum.
" Attamen exclamas, quantum eſt in rebus inane!
" Nullis longa dies terreſtribus! ardua quaſſat
" Mœnia tempus edax; arceſque urbeſque recedunt;

Tecta

(*a*) 1 Regum ix. 36. (*b*) Eccleſ. ii. 19. (*c*) Ib. v. 11.
(*d*) Eccleſ. i. 8. (*e*) 1 Regum vi. & vii.

" Tecta ſuperba cadunt; et, ſacri culmine templi,
" Quod veſtræ ſtruxere manus, dominabitur ignis.
" Tu, non limitibus patriæ contentus avitis,
" (a) Tendis ab oceano longè victricibus armis
" Flumen ad Euphratis; reges ubi ſub juga mittens
" Undique finitimos, latè tua ſceptra vereri
" Cogis, et invitos tibi ferre tributa quotannis.
" Neſcis at extenſi quot ſunt incommoda regni:
" Plura cupit qui multa tenet, creſcuntque dolores
" Imperio creſcente ſimul; regeſque ſub haſtâ
" Oſtendunt tibi te, monito, quod nemo beatus
" Ante obitum dici ſupremaque funera debet.
" Tu vino cantuque paras diſpellere curas,
" Pectora quæ cutiant mortalia: protinùs omnes
" Implentur pateræ Baccho, mixtiſque choreis
" Atria longa ſonant: Conſumis amore jociſque
" Noctes atque dies, ſi quâ removere moleſtos
" Ex animo ſenſus, revocareque gaudia poſſis.
" Admonet at quoties his te *Sapientia* verbis,
" Sperne voluptates, et pocula plena Lyæo;
" Ebrietas brevis eſt inſania; muſicus aures

 " Obtundit

(a) 1 Reg. iv. 24.

" Obtundit ſonitus ; (*a*) meretrix eſt dira vorago.
" Qui medicamentis putat his lenire dolorem,
" Auratis poculis bibit inſcius atra venena.
" Tu recreare animum tentas, feſſumque levare
" (*b*) Pieriis ſtudiis ; tu mille poemata nectis,
" Dogmata ter totidem ; et, collectis undique chartis,
" Quid veteres docuere notas, quid deinde minores :
" Ars coluit quicquid, quicquid natura creavit
" Scire tuum eſt, quod ſcis variiſque recondere libris.
" (*c*) Non tamen ignoras, quod doctos una manet nox
" Et ſtolidos ; eadem ſuccumbunt mortis utrique
" Cuſpide ; et amborum facta oblivione teguntur
" Poſt obitum ſimili ; tamen his teris otia rebus,
" Corpus et emaceras : Oculi non nocte ſoporem,
" Nec, redeunte die, ſentit mens ægra quietem :
" (*d*) Parturit ærumnas ſic multa ſcientia multas."

Ex his, fili mi, admonitus eſto, faciendi libros nulla eſt finis, &c.

Hac methodo tractanda mihi quæ verba videntur.

I. Imprimis referens bona, quæ ſibi quiſque legendo
Scribendo et libros promittit ;

II. Deinde

(*a*) Prov. xxii. 14. (*b*) 1 Reg. iv. 31, &c. (*c*) Eccl. ii. 16. (*d*) Ib. i. 18.

II. Deinde laboris onus, ſpes vanas, gaudia falſa,
His ſtudiis prognata notans;
III. Oſtendam cauſas, cur plena negotia curis
Talibus hortamur dimittere:
IV. Denique concludens, atque ad mea fata revertens,
Exemplo memoranda meo dictamina regis
Hæc rata monſtrabo.

I. Imprimis referam bona, quæ ſibi quiſque legendo
Scribendo et libros promittit.

Gloria, divitiæ magnæ, præſenſque voluptas,
Numina ſunt tria, quæ toto venerantur in orbe,
Vota diurna quibus faciunt inſignis et imus.
(*a*) Laudis amore *Duces*, quos, primo tempore vitæ,
(*b*) Inter laurigeros aluerunt caſtra triumphos,
Frigora longa pati, Solis tolerare propinquum
Æſtivumque jubar, vigiles perducere noctes,
Aurorâ et ſurgente graves tolerare labores
Aſſueti, nihilum metuunt: per tela, per ignes,
Per medias cædes, per mille pericula tendunt

Culmen

(*a*) Gloria. (*b*) Claud.

Culmen ad excelſum famæ; dum ferreus imber,
Exitium letumque ferens, circumtonat, aures
Bombardiſque cavis emiſſa tonitrua quaſſant.
Sunt, qui tecta ſtruunt ſublimibus alta columnis,
Inſtar *pyramidum*, vaſtis onerantque parentem
Ponderibus terram, proprio de nomine molem
Mirificamque vocant, tam longo tempore ſeſe
Victuros, quam ſtant immania ſaxa, putantes.
Sunt, quos clàra juvat pictis monſtrare tabellis
Facta tremendorum regum, vultumque habitumque
Fortis Alexandri; tua quum pulcherrima conjux
Cum natis, *Darie*, preces, et brachia tendens
Suppliciter, vitamque tuam veniamque precatur,
Fuſa genas lachrymis, multoque dolore decora.
Claruit hac quondam Raphael, Titianus et arte,
Pingendoque alios ſibimet poſuere ſuperbum
Marmore, et inciſo monumentum durius ære:
Fertur ut egregius *ſculptor* cælâſſe, peritè et
Suppoſuiſſe novæ ſtatuæ, quamcunque peregit,
Effigiem nomenque ſuum, quo fama maneret
Authoris dum manſit opus, ſerique nepotes
Dignum laude virum poſſent celebrare perenni.

Singula

Singula quid memorem? Famæ cum tanta cupido
Occupat humanum genus, et poſt funera tendit
Vivere; *muſæo* dic quid concluſus in iſto,
Mille voluminibus ſeptus, tibi vis, ſtudioſe?
" Fert animus varios doctrinæ inviſere fontes,
" Et luſtrare viros, quos aut *Memphitica* tellus
" Muſarum ſedes primæva, aut *Græcia* longis
" Fertilis ordinibus doctorum, aut artibus olim
" *Roma* potens armiſque (ſitu nunc obruta longo)
" Nutruit egregios, et multâ laude colendos.
" Hinc ego materiam quærens, operiſque futuri
" Fundamenta jacens, obnixè viribus utar
" (*a*) Nil vulgare loqui, nil tritum, aut turpiter hirtum.
" Seu varios ortus refero, ſermone pedeſtri,
" Regnorumque vices; populos ſub rege benigno
" Fœlices, meritâve extinctos morte tyrannos,
" Fataque fortunaſque virûm: Seu necto canoris
" Eloquium vocale modis, et carmina fingo
" Virgilio ſimilis, magnoque æqualis Homero:
" Seu feror in cœlum, tua facta ſtupenda pererrans,
" *Magne opifex rerum*, lunamque ſolemque coruſcum,
Aſtrorumque

(*a*) Hor.

" Aſtrorumque choros; atque addens orbibus orbes
" Concipio innumeros anguſto in pectore mundos.
" Æthere ſeu remanens, ſtudiosâ mente requiro
" Nubibus unde imber; quo frigore ſaxa creantur
" Grandinis effuſi; quo facta tonitrua vento;
" Flamine quo fulmen, vel quo fulgore cometes.
" Seu deſcenſus humi meditor, quo cuncta feruntur
" Impulſu ad ſua centra; gravis quo pondere ſanguis
" Tendit in adverſum refluus; quæ luna receſſus
" Procreat oceani; quæ vis ſecreta maritat
" Magneti *chalybem*, quo curſum nauta gubernat
" (*a*) Prenſus in Ægæo, cum ſydera condidit imber
" Noctem hyememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
" Denique quicquid ago, quæcunque volumina tracto,
" (*b*) Condo et compono quæ mox depromere poſſim,
" Quando mei ſtudii fas eſt producere fructum.
" Eja age, rumpe moras, et cum mea ſcrinia chartas
" Non cohibere valent; cum ſuſtinuere prementis
" Amplexus præli; cum pulchro tegmine tectæ,
" Auratæque omnes exornavere tabernas;
" Non totus moriar; vivet mea fama ſuperſtes,

(*a*) Dum

(*a*) Virg. (*b*) Hor.

" (*a*) Dum ſol flammiferis mundum complexus habenis
" Volvit inexhauſto redeuntia ſæcula motu.
" Uſque adeo nihil eſt, quod me juveneſque ſeneſque
" Suſpicient, ſenſumque meum ſub corde reponent?
" Quod leget *Hiſpanus*, *Batavus*, mea ſcripta, *Britannus*,
" *Gallus* et, infeſtis licet adverſetur in armis?
" Uſque adeone nihil, quod me longo ordine *cœtus*,
" Doctorum appellat *ſocium*, numeroque ſuorum
" Aſcribens, dum vita manet, me tollet honore;
" Et, cum fata vocant, ſuperas quod ducar ad arces,
" Inque beatorum ſedes, ubi denſa corona
" Adventum gratulare meum conſurget, et unâ
" Voce meas repetet laudes; ubi captus amore
" Egregios luſtrabo viros, quos *Græcia* quondam
" Eloquio pollens, quos inclyta *Roma* triumphis,
" *Anglia* quoſque tulit titulo ſub utroque potentes?
" (*b*) Excudant alii ſpirantia molliùs æra;
" Adificent celſas turres, et tecta domorum;
" Picturis ſtatuiſque ſuis ſua nomina figant;
" Clareſcantque duces redimiti tempora lauru:
" Eſt hic eſt animus, fato qui impulſus amico,

(*a*) Claud. (*b*) Virg.

" Altiùs et ſurgens, terram contemnit, et iſtum
" (*a*) Qui ſtudiis bene credit emi, quo tendit, honorem.
" Et, cum ductores adverſo Marte peribunt,
" Æra cadent, et tecta ruent, tabulæque ſeneſcent,
" Semper honos, nomenque meum, laudeſque manebunt."
(*b*) Volvere quot caſus homines, quot adire labores
Divitiæ impellunt, nulla non arte petitæ?
Per mare pauperiem fugiens, ſyrteſque doloſas
Navita contemnens, et ſaxa latentia fundo,
Tendit adire plagas alio ſub ſole jacentes,
Mercibus ut redeat pretioſis puppis onuſta.
Invigilans ſtudiis leges, artemque loquendi
Cauſidicus diſcit, quo pluris jurgia vendat,
(*c*) Securus quo ſtet cadat aut ſententia talo,
Dummodo *diteſcat*; ſaturetur et ære clientis
(*d*) Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.
Qui cupit officio medici præclarus haberi,
Venditat ampullas, et verba ſonantia Græcè
Miranti populo, rhedâ vehiturque ſupinus
Conductâ in triviis; his ſcilicet artibus infert
Conduplicare ſui ſe præmia poſſe laboris.

Num-

(*a*) Virg. (*b*) Divitiæ. (*c*) Hor. (*d*) Hor.

Nummorum cum tanta fames ferè poſſidet omnes;
(a) Eſt aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum,
Hac caveâ incluſus, libris his undique cinctus?
" Quod faciunt alii, *diteſcere*, remque ruentem
" Provehere in melius, redimendo tempus omiſſum.
" Namque (fatebor enim verum) juvenilibus annis
" Hac ego Pieriâ latui contentus in umbrâ,
" (b) Oblituſque meorum, obliviſcendus et illis;
" Donec pauperies, quæ quodlibet imperat, aurem
" Vellit, et admonuit (penitùs nam verba recordor)
" (c) *Poſt te victuræ per te quoque vivere chartæ*
" *Incipiant, meritis et præmia digna reportent.*
" Jamque opus exegi mirum, quod protinus edam.
" Namque ſcio hoc certò ſimul ac *diagramma* laboris
" Incipit apparere mei, me cunctus adibit:
" Ignoti, noti proceres, et epiſcopus omnis,
" Nomina ſubſcribent, pretium et non vile rependent.
" Tunc mihi, ſi ſapiens, et ad mea commoda ſpectans,
" Bibliopola fio, proprios et vendo libellos,
" Emptores aderunt, regale numiſma ferentes:
" Pluris enim conſtant libri, quos edidit ipſe

(a) Perſ. (b) Hor. (c) Mar.

" Author, in obſcurâ quam qui latuere tabernâ.
" Sin libet archetypum venum dare, protinùs omnis
" Grex venit ante fores, qui victum quærit emendo
" Vendendoque aliis libros, gens dedita lucro:
" Autographum ſpectant, titulumque in fronte ſuperbum
" Mirantur, pretiumque rogant: poſt plurima verba,
" Dant quodcunque volo; ſic prompta pecunia migrat
" In loculos, aliiſque meos tranſcribo labores.
" Hinc factus locuples, coemenſque in rure paterno
" Hortos, atque domus, et prædia plurima, *papâ*
" Major ero, terrâ curru ſplendente, per undas
" Puppe vehi, ſolito, multum ridente Camœnâ,
" *Tranſlatoris* opus quod tam ſupereſſet *Homerum.*
" Reſtat et ulterius lucri genus: Omnia poſtquam
" Perfeci, viſentque ſuum mea ſcripta patronum,
" Ille, modo locuples, doctorum fautor, et ipſe
" Doctus, et incoctum generoſo pectus honeſto,
" Largiter in gremium rutilo mihi depluet imbre.
" Fortis *Eliza* manu fulgentia ſceptra gerebat
" *Angliaci* regni (non longa eſt fabula) *Spenſer*
" *Spenſer*, qui docuit numeros, et verſibus apta
" Mellifluis reſonare modis ſua verba coegit;

" Principis

" Principis invictæ dum concinit ore triumphos,
" Jamque novum mirâ formaverat arte poema,
" Detulit ad *fisci præfectum*: protinus ille
" Se accingit lectum; nec pagina prima peracta est,
" Cum vocat authorem; laudat, vultuque sereno
" Aureolos solvit centum, impatiensque morari
" Inde redit lectum; revocat mox, totque resolvit
" Captus amore operis: toties (quid singula narrem?)
" Et legit, et revocat, repetens sua præmia, donec
" Largitione suâ ut sit prodigus ipse veretur,
" Totaque regali consumpta pecunia fisco.
" Sic mihi me quicunque legunt, sua dona remittent,
" Donec ero fœlix, longè de plebe remotus,
" Dives opum, dives positis in fœnore nummis."
(*a*) Quisque suos sequimur motus, sua gaudia quisque,
Ille sinistrorsum, dextrorsùm hic tendit, at omnes
Ad tua conveniunt sacraria, diva voluptas.
Quem juvat e fluvio salientem ducere piscem,
Forte tenaci hamo si grandior unus adhæret,
Impatiensque capi nunc huc nunc cursitat illuc,
Nunc obluctatur crebris assultibus, et nunc

Nititur

(*a*) Voluptas.

Nititur extenſum fruſtra diſrumpere linum,
Captoris tacitam pertentant gaudia mentem.
Cernis ut exultat per vultum læta ſerenum
Gratia, ut igne micant oculi, venator acutis
Dum catulis ſectatur aprum, leporemve fugacem;
Cornua dum reſonant ſylvis, et ad æthera clamor
Commiſtus vehitur; dum lora ſpumantia mandens
Stat ſonipes, prædamve ſequens volat ocyor Euro
Per foſſas, valleſque cavas, et operta viarum.
Cum genus humanum tali natura creavit
Indole compoſitum, trahat ut ſua quemque voluptas,
Quid facis hic demens, aut qua dulcedine captus
Nocte dieque ſedes, velut arctâ compede vinctus
Servus, et aſſiduo remos tractare coactus?

" Notus erat quondam (ſic narrat *Horatius*) Argis
" *Qui ſe credebat miros audire tragœdos*
" *In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro,*
" *Cætera mentis erat ſanæ. Medicamine ſed cum*
" *Ad ſeſe rediit; pol me occidiſtis, amici,*
" *Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,*
" *Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.*
" Hoc ego ſi teneor morbo, quandoque *Maronem,*

Mæonidem,

" *Mæonidem*, neutrove lego *Miltona* minorem;
" Vel quando eloquii mecum exemplaria Græca
" Confero Romanis, *Demoſthenis* ora diſerti
" Flumine, *Marce*, tuo fandi, *Senecamque Platone*;
" Huic mihi ſi videor doctorum aſtare coronæ,
" Hunc audire modos recitantem voce rotundâ,
" Dogmata dictantes alios virtutis, et illum,
" Quo libet, attentos animos ſermone trahentem;
" His ego me placeo, placet et maleſanus haberi.
" Hos inter celebres utinam me prima tuliſſet
" Terra viros! quoniam ſed præceſſere, voluptas
" Non levis arbitrio noſtro, non ultima laus eſt,
" Ingenii monumenta ſui, quæ quiſque reliquit,
" (*a*) Nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ.
" Fœlix ille typos duro formare metallo
" Qui primus docuit, quique ordine jungere certo
" Inſtituit, madido et ſub prælo mittere junctos!
" Salve, *Fauſte pater*, rurſus ſalvere jubemus
" Te, (*b*) Famulumque tuum; nomen meruiſtis honeſtum.
" Non magicas artes, quas aut Nilotica tellus
" Extulit, aut antris enutrivere ſibyllæ,
" Excoluiſtis

(*a*) Hor. (*b*) Sheffer.

" Excoluiſtis enim (mendax eſt fama) ſed illas,
" Inclyta queis veterum purè doctrinâ nepotes
" Defluit ad ſeros, perque omne volubilis ævum.
" Gratulor aſpectum tantorum ſæpe virorum,
" Quos mihi ſervâſtis, quorum commercia docta,
" Seu præcepta docent pia, ſeu theoremata tractant
" Ardua, ſeu penitus naturæ arcana recludunt,
" Annales recitant, ſeu carmen amabile condunt,
" Quicquid agunt, ſtricto ſit vel ſermone ſoluto,
" Me magis oblectant, quam ſi ſub rege miniſter,
" Inter patricios, *primus* verſarer in aulâ
" Nobilibus clariſque viris, ducibuſque repletâ.
" His ego concluſus, rabioſi tempora ſigni
" Vito, dies, quando madidis Notus advolat alis,
" Terra riget quando canis adoperta prùinis,
" Aut ubi multorum comitum mihi turba moleſta eſt.
" His, ego nil curo quot *Gallus* militat oris,
" Quas acies numerat, quæ vi, quæ fraude ſubegit
" Oppida (ſit dolus an virtus quis in hoſte requirit?)
" Nec ſum ſollicitus patriam cur venditat auro
" Infidus *Batavus*, bellumque retractat in armis.
" His ego avaritiam, pravæque cupidinis ignem

" Pectore

" Pectore ſummoveo; curas, vanoſque timores,
" Triſtitiamque gravem ventis committo protervis
" In mare portari; ſtudii genus id quoque ſector,
" Quod me tranquillet, quod me mihi reddet amicum,
" Præbeat et miſeræ jucunda oblivia vitæ.
" Nec minor in ſtudiis ipſis eſt gratia: Namque
" Singula dum luſtro, et partes verſatus in omnes,
" Nunc hoc, nunc aliudque ſequor, rurſuſque reverto
" Unde abii, rurſuſque ſequor; ſi ſorte benignâ
" Quod peto, ſeſe offert, revocoque quod effugit uſquam,
" Εὕρηκα per vultum, et per præcordia pandit
" Gaudia confeſtim ſua, dum dulcedine mirâ
" Surripit et mihi me, ſum rege beatior ullo.
" Nam cum mente feror per celſa palatia cœli,
" Aſtraque, quot proprio, mutuo quot lumine fulgent,
" Quot ſtatione manent, quot certâ lege vagantur,
" Diſcutio, varioſque ſitus, varioſque meatus:
" Aut magnum per inane volans, cum ſentio ſtellas
" Eſſe novos totidem ſoles, totidemque planetas,
" Vorticibuſque ſuis totidem componere mundos;
" Exclamare licet, *lato tua gloria cœlo*
" *Panditur, Omnipotens, meritæ celebrantur et altis*

" *Orbibus in liquido fluitantibus æthere laudes.*
" Hæc ego cum meditor mecum, tacituſque revolvo,
" Ecſtaſe corripior cœleſti, et pectore ſenſus
" Percipio, quales *Epicuri* de grege porcus
" Nullus habere poteſt, multo licet ære paratis
" Deliciis avidam ſtudeat tergere palatum."
Ne longo ſermone morer vos: Gaudia, fama,
Divitiæ, cunctos, juncto velut agmine, ſtipant,
Quos juvat ingenuo ſtudii indulgere labori.

Hactenus expoſui bona plurima, nuncque retrorſum,
II. Velificans, curas, ſpes vanas, gaudia falſa,
His ſtudiis prognata ſequar.

(*a*) Ex quo juſtitiâ tellus maledicta ſupremâ
Sponte ſua ſentes et procreat undique dumos,
Quærendus ſudore cibus; nam nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus; haud ſine curis
Naſcitur ullus homo; ſed fœliciſſimus ille,
Urgent quem minimæ, vel cui medicina paratur,
(*b*) Dulcis amata quies, fallentis ſemita vitæ.
Cum ſtatus hic noſtræ ſit vitæ, ſcire laboro,

Quem

(*a*) Curæ. (*b*) Virg.

Quem natura tulit cur quiſquam augeſcit acervum,
Clitelliſve gravat dorſum majoribus æquo.
Si vixit bene, qui latuit, cur nomen inane
Philoſophus captat, vulgo doctuſque videri
Nititur ignaro? Cur non inglorius umbris
Degit in obſcuris, ut ſubterraneus amnis
Tendit ad oceanum tacito pede ferre tributum,
Viſus et auditus nulli? cur exigit ultro
(a) Supplicium de ſe, veluti pater ille Terentî,
Fabula quem miſerum nato vixiſſe fugato,
Inducit; pariter miſer hic cur dat ſibi nullum
Ærumnâ tempus vacuum, triſtique labore?
Rure ſolum curvo ſolidum qui vertit aratro,
Urbe ſuas merces qui venditat ore ſonoro,
Cum ſemel advexit nox tempeſtiva tenebras,
Protinus in tectis conduntur, proque virili
Cuticulam curant, et delaſſata ſopitu
Continuas noctes quàm molliter oſſa quieſcunt!
Hi ſapiunt, vice jucundâ falluntque laborem:
Ille ſed, ætatem ſtudiis qui devorat omnem,
Non ſibi concedens placidæ momenta quietis,

(a) Hor.

Aſſidet inſano, delectamenta recuſans
(a) Quæ natura rogat, queis eſt dolitura negatis.
Navita, mercator, mileſque hac mente laborem
Durum ferre ſolent, ut in otia tuta recedant
(b) Annua cum ſibi ſunt congeſta cibaria. Nullam
Hic ſibi proponit finem; conſumit inani
Tempora circuitu, ſolâque libidine fortis
Scribendi, pannis et paupertate ſeneſcit.
Angitur intereà, dubiâ dum mente revolvit
Prima rudimenta, et molitur ſchema futuri
Excogitans operis; nunc hoc, nunc eligit illud,
Nunc aliud præfert, animumque per omnia verſans
Ampliat, aut minuit mutans, multa addit, et aufert,
Fiat ut archetypum totum teres, atque rotundum.
Hinc tamen exoritur nova cura, elegantibus unde
Veſtiat idæas dictis; quæ verba miniſtret
Expreſſura ſuos ſenſus; quoque ordine, quáque
Singula ſede locet, quo non ſententia currens
Longiùs, aut breviùs juſto, demulceat aures.
(c) Hæc meditans ſecum rabioſa ſilentia rodit,
Atque exporrecto trutinatur verba labello.

Sæpe

(a) Hor. (b) Hor. (c) Perſ.

Sæpe caput ſcabit, et ringit; modo murmurat intus
Neſcio quid, fixis oculis laquearia ſpectans;
Et modo corrugat frontem, ſimiliſque videtur
(Exciderant animo quoties tibi congrua verba)
Calcanti miſerum pedibus, Moliere, galerum.
Dicitur infœlix meritò, quem vultur adunco
Inſidet et laniat roſtro, neque deficit unquam
Immortale jecur: Doctus fuit iſte *Prometheus*;
Artium et inventor variarum; hinc fabula nata eſt;
Hinc ſibi commentum pœnæ finxere poetæ.
Acribus in ſtudiis rediviva repullulat uſque
Anxietas; hæc vultur erat, hæc pectora acutis
Devorat, inque novas ſemper creſcentia, curis.
Eſto tamen tandem, poſt tot diſcrimina rerum,
Sæpiùs incepti methodumque modumque reformans,
Sæpe ſtylum vertens, et ſæpe vocabula mutans,
Omnibus his nervis, opus admirabile ſcriptor
Duxit ad umbilicum; reſtat ſcribenda papyro
Pagina quæque novâ, nec non mittenda ſagaci,
Qui leviter culpas ita caſtigabit, amico:
" Ordine nunc peccas, præponens ultima primis,
" Hanc methodum ſerva: Sermo hic prolixiùs æquo

" Protrahitur,

" Protrahitur, minùs hic, medium tene: durius hoc eſt,
" Tritum hoc, quære aliud: tumet hæc ſententia, repit
" Hæc nimiùm, caſtiga ambas: brevis eſſe laboras,
" (*a*) Fis tamen obſcurus: ſectantem lævia nervi
" Deficiunt ſolidi: fluis hic lutulentus, et illic
" Lectorem laſſas verbis onerantibus aures:
" Corrige, nam mendis hæc pagina tota repleta eſt.
Cogitur, hinc abiens, rurſus renovare labores
Siſyphus hic noſter, rurſuſque per ardua montis
(Nec mora nec requies) ruiturum volvere ſaxum.
Ingruit intereà morborum dira caterva,
Grandis hydrops, macerata tabes, nodoſa podagra,
Angere quæque ſolent ſtudiis contracta ſeveris
Corpora, et humanæ prædari gaudia vitæ.
Corpore ſin valeat, tamen illum peſſimus urget
Morbus, pauperies; et dum theoremata condit
Mira, ignota aliis; retinet dum monte capaci
(*b*) Quicquid *Socratico* manavit ab ordine, quicquid
Docta *Cleanthææ* ſonuerunt atria turbæ;
Eſurit, ignarus cibus et quo panis ematur,
Piſtoris laniique tot impendentibus illi,

Enſe

(*a*) Hor. (*b*) Claud.

Enſe velut ſtricto, ſchedis; cui nulla poteſtas
Solvendi apparet, vix ſuppeditante crumenâ
Æs laquei pretium: dum de lodice paranda
Sollicita, et prolem miſerata oppignerat uxor
Optima quæque, togam nitidam, ſubtile theriſtrum,
Bombicinas veſtes, pendentes aure ſmaragdos,
Præque his, conjugii monumentum et pignus amoris,
Proh dolor! et digito lacrymatur fœmina nudo.
(a) Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ!
Docto huic tempus erit, magno cum optaverit emptum,
Nunquam ſe totidem tetigiſſe volumina, nunquam
Applicuiſſe animum ſtudiis, atque oderit artes
Ingenuas ſerò; cum carcere clauſus in arcto,
Atque aliquid rogitans a prætereunte popello,
Hoc monitum dabit, et teſtabitur omnibus; *O qui,*
Hoc ſpecus horretis, doctos contemnite libros!
Scire nihil tuta eſt et jucundiſſima vita.
" (b) Unicus his laqueis modus eſt remeare, repentè
" Imprimat, et vendat quæ ſcripſit, magna laboris
" Præmia laturus." Sæclo fuit hæc via queſtûs.
Optima præterito, regnum ſceptrumque Britannum

Fœmineâ

(a) Virg. (b) Spes vanæ.

Fœmineâ moderante manu; cum copia cornu
Pacis amica comes, terras ditavit, et Indis
Multâ claſſe domum gazas ab utriſque reportans
Appulit Angliacos portus, et littore tuto
Innumeras effudit opes: cum vivida virtus,
Intemerata fides, probitas immota, pudorque
Priſcus, et innocuis pax non ingrata Camœnis,
Imperium tenuere ſuum per rura, per urbes.
Tunc magni proceres, claris majoribus orti,
Quique capeſſebant regni fœlicis habenas,
Rure relaxati curis civilibus, actis
Muneribuſque ſuis, ſeſe recreare ſolebant
Pieriis ſtudiis; Muſis et Apolline dignos
Scribere verſiculos; aut ordine ducere certo
Hiſtorias rerum, quarum pars magna fuerunt.
Fœlices animæ! fœlicia tempora, quæ vos
Produxere, decus patriæ, et tutamen in armis.
Tunc par ingenio pretium, tunc utile multum
Noſcere, et eximias didiciſſe fideliter artes,
Nobile tot brabium poſitum monſtrantibus altè,
Exemplo totidemque ſuo ſtimulantibus omnes.
Vidimus hæc rabie fœlicia tempora Martis

Funditùs everti, et retrò ſublapſa referri:
In quorum ſubiere locum fraus fronte ſerena
Corde ſed infido, cæca ignorantia, ſurda
Barbaries, ventoſo elata ſuperbia faſtu,
Paupertaſque ſimul, minimum penuria dandi
Frigida, divitias amor et ſceleratus habendi.
Rara avis eſt generoſus homo: Pars maxima turpi
Sordet avaritiâ; pauci, quos æquus amavit
Jupiter, et prodeſſe volunt, largire quod optant
Non opis eſſe ſuæ plorant; dum magna tributa
Imminuunt cenſum; dum ſolvere rure clientes
Proventum nequeunt; dum plurima damna quotannis
Hinc atque hinc veniunt; pro majeſtate ſuorum
Non licet at proavûm leviori vivere ſumptu.
Sic ſitus unde habeat merita emolumenta laboris
Scriptor? propter onus ſtudii ſeſe unde repenſet?
Bibliopola ſuos, pretio niſi vile, libellos
Non emit, et, renuente uno, numeroſa caterva
Reſpuit, et damnare ſtudet pariter, velut illis
Canidia afflâſſet pejor ſerpentibus *Afris*.
Sola ſibi ſpes eſt a *Mæcenate* notari
Conſpicuo, cujus præſcripſit pagina nomen.

Illum blanditiis lactavit epiſtola multis,
Ordine virtutes narrans, atque acta parentum,
Quæque atavi fecere ſui, (ſi pace vel armis
Emicuere,) notans inſignia ſingula, corvumque
Undique collectis plumis decoravit ovantem.
Et non ditari multâ mercede meretur,
Talis adulandi cui ſit conceſſa facultas?
Fallimur: antiquis mos verba rependere nummis
Priſcus erat; ſed nunc permiſſa licentia fronti
Magnatis titulos operis præfigere noſtri,
Eſſe ſatis lucri reputatur; plaſmata fallax
Sic ſua regali diplomate vendit agyrta.
Et licèt oblectent authoris ſcripta patronum,
Stirpis et egregiæ titillet fama legentem;
Nil tamen annumerat: Didicit jam dives avarus
(*a*) Tantùm admirari, tantùm laudare diſertos,
Ut pueri Junonis avem. Nam limen amici,
Cui mandavit opus, poſtquàm vel menſibus octo
Mane ſalutavit, nitido veſtitus amictu,
Vectus et in curru (nam vivimus ambitioſa
Paupertate omnes) ſe non laſſare jubetur
A famulo,

(*a*) Juv.

A famulo, et toties veniendi impendere curam,
Nil dominus quod donet habet. Sic tempora longi
Servitii pereunt; lucri et vanescit imago,
(a) Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
(b) *Sed si divitiæ studii non arte parantur,*
Fama perennis eum nomenque insigne sequentur,
Qui bene scribendo de posteritate meretur.
Scribimus indocti doctique volumina passim:
Sed quod conficitur tenui crassâve Minervâ
Pluris habet vulgus lectorum, pascit inertes
Dum tineas geniis a superioribus ortum.
Quò magis hoc credas, (c) sartoris fabulâ longè
Præsulis exuperat: Toties tua pressa renidet
Viribus aucta suis, Bunyan; rivalis at alto
Squalore obruitur; nec te tua plurima, Patrick,
(d) Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Spretus es a vulgo? Doctorum turba rependet
Laudem pro meritis. Hæc spes quem captat inanis,
Gaudia prosequitur falso fucata sereno.
Nam velut in stadio multis currentibus, unus
Si levibus plantis longè supereminet omnes;

(a) Virg. (b) Gloria falsa. (c) Pilgrim's Progress. (d) Virg.

Hortentur licèt aſtantes, poſt terga relictus
Inſequitur frendens, victorem lividus odit,
Et ſibi direptos alio indignatur honores.
Haud ſecus in curſu doctrinæ *prima* tenere
Qui ſolet, invidiâ multorum carpitur, ûrit
(a) Urit enim fulgore ſuo, qui prægravat artes
Infra ſe poſitas. At ſi virtutibus obſtat
Res anguſta domi, ſua rodere ſcripta maligno
Dente licet cunctis: " Hic mercenarius author,
" Qui locat ingenium pretio, pennâque citatâ
" Venerit in buccam quicquid properare laborat,
" Quid ſibi vult? tali mihi quid promittit hiatu?
" Unde habeat libros paupertas tanta, paremque
" Materiem cœptis? a conditione remotus
" Pauperis eſſe ſolet, qui quid proferre minatur,
" Pectore de pleno, criticis lectoribus aptum.
" Divitis eſt, amplus cui contigit æris acervus,
" Quique refulgenti vehitur per compita curru,
" Magnæ mentis opus moliri: haud aptus egenus
" Talibus eſt auſis: abeat, cedatque coronam
" Majori, in tritis eſt rara ſcientia pannis."

Gloria

(a) Hor.

Gloria ſed doctos, inopes licèt, uſque manebit
Poſt obitum, cinerique dabit memorabile nomen.
Id cineres, maneſque putas curare ſepultos?
Cum ſemel a nobis duri inclementia lethi
Abſtulerit vitam, cunctorum corpora ubique
Communi conduntur humo; ſed ſpiritus altè
Avolat, innocuè ſi vixit moxque locatur
Inter delicias Paradiſi, ubi pace quieſcens,
Inque ſodalitium ſanctorum dulce receptus,
Non flocci faciet de ſe quid fama loquetur
Poſthuma, ſeu nomen cretâ, an carbone notabit.
Quid Pater æthereus de nobis, non quid amici,
Aut hoſtes cogitant, curandum eſt morte peremptis.
Gaudia ſed ſtudiis oriantur multa fatendum eſt.
(*a*) Gaudia, quantalibet, quid erunt, ſi gaudia tantùm;
Si neque rem faciunt meliorem, nec leviorem
Ad decus aſcenſum, ſed eodem doctus inhæret
Cœperat unde luto, conamine laſſus inani?
(*b*) Cernis ut exiguus caveâ volvente ſciurus,
(Quem compacta ſuper ſunt tintinnabula certos
Compoſita ad numeros) ſeſe uſque ac uſque fatigat,

Faſtigium

(*a*) Gaudia falſa. (*b*) Prior.

Faſtigium pedibus fugitivum attingere certans.
Scandere ſe cogitat ſonitûs dulcedine captum
Delirans animal, rapido ſed concita gyro
Machina confeſtim, priùs ut, revoluta quieſcit.
Sic ſtudioſus agit: vanam deceptio gignit
Prava voluptatem, conatus vana voluptas
Excitat immodicos; hi nixus robora mentis
Corporis et minuunt, donec defeſſa recumbunt.
Interea obrepit ſibi non percepta ſenectus
Languorem mortemque ferens, pretioſa terenti
Tempora futilibus nugis, raroque putanti
(a) Quid ſumus, et quidnam victuri gignimur; ordo
Quis datus eſt; ludis non in puerilibus annos
Perdere conceſſos; equitare in arundine, cœno aut
Ædificare caſas; neque longa volumina vano
Ducere de cerebro, dare pondus idonea fumo.
Sed ſecum meditari, ſuoque recondere ſenſu,
Quid ſibi, quid patriæ quiſquis, chariſque propinquis
Debeat; unde ſuam mentem virtutibus ornet;
Et quibus officiis, et qua prece Numen honoret.
Hic labor, hoc opus eſt, hac nos pro fine creavit,

Qui

(a) Perſ.

Qui mare, qui terras, qui cœli ſceptra gubernat.

III. Hinc feror ad cauſas, cur plena negotia curis
Talibus hortamur dimittere.

Quò magis humani tempus perpendimus ævi
Exiguum, et quantis ſit vita laboribus acta:
Quò magis inſpicimus mentis confinia noſtræ
Limitibus parvis incluſa, capacia rerum
Paucarum, levibus nugis et ſæpe repleta:
Quò magis atque magis ſub corde revolvimus omnes
Doctrinæ ſpecies, et quanti ſingula conſtat,
Ars quàm longa, brevis quàm vita, repentè recurrit;
(*a*) Indeque colligimus, nos poſſe includere pugno
Flamina ventorum potiùs, circumdare vaſtum
(*b*) Ætheris expanſum palmo, maris omne fluentum
Urceolo cohibere cavo, quàm limite parvo
Pectoris humani doctrinam amplectier amplam.
(*c*) Nititur aſcenſu montem ſuperare viator,
Non ita difficilem primò, ſed eum juga vicit
Plurima, jam culmen ſummum et prenſare videtur,
Culmina culminibus vidit aſſurgentia longè,

Quò

(*a*) Pro. xxx. 4. (*b*) Iſa. xl. 12. (*c*) Pope's Crit.

Quò magis aſcendit, magis et diſtare cacumen:
Illicò ſuccumbit, cumque eſt ſpes omnis adempta
Ulteriùs proferre gradum, veſtigia retrò
Flectit, et in vallem mutatâ mente revertit
Non minùs in ſtadio ſtudiorum progredienti
Artibus inſurgunt artes, ut *Neſtoris* anni,
Herculis aut vires nequeunt attingere metam,
Quæ movet uſque procul, miſerè fallitque ſequentem.
Fac tamen in quovis ſe pectore cuncta vetuſtas
Condidit, atque novi quicquid docuere magiſtri
Emicat, hoc quid ſit, quantique, expendite mecum.
(*a*) Fertur Agenorides monſtrâſſe elementa Pelaſgis;
Qualia, quæque tamen, quânam regione petita,
Quo fingenda ſono, quibus et ſignanda figuris,
(*b*) Grammatici certant, et adhuc ſub judice lis eſt.
Rhetoris hic mos eſt formis ornare decoris
Sermonem, variiſque tropis; præſcribere leges,
Quali quæque modo, ac numero, ſententia currat.
Hoc in curriculo olim Quintilianus agebat
Magnus equos; monſtravit iter Ciceronis acumen
Flumen et eloquii, duo quod docuere libelli.

Plurima

(*a*) Baker's Inſufficiency. (*b*) Hor.

Plurima ſed præcepta aliis quæ, *Marce*, dediſti
Non prodeſſe tibi patet hinc——quod *Brutus* amicus
Te nimis elumbem reputat, *Calvuſque* ſolutum,
Pollice nec laudat te *Quintilianus* utroque.
Diſputatur enim doctos interque peritos
Fandi, quæ melior facundia, quæque ſupremis
Nititur exemplis, brevibus quæ comprimit omnem
Limitibus ſenſum, verborum parca vagatur;
An quæ luxurians, tumidoque perambulat ore
Singula deguſtans; velut amnis amœnior an ſit,
Utiliorque, ſuam ripis qui continet undam,
Murmure jucundo per prata virentia currens;
An qui ſpumiferis ſuperato margine ripæ
Fluctibus, in campos ſpatioſo flumine volvens
Nutrit humum lætam fœlici uligine limi.
Forma Diſerta tamen fuerit quæcunque loquendi,
Quorſum pertinuit, ſpecie niſi ludere falſâ,
Grandia deprimere, et levibus dare pondera nugis?
(*a*) Ergo (nec immeritò) Lacedæmone pulſa receſſit
Hæc fraudis clamoſa parens, et vixit Athenas;
Donec, acerba fremens, populari cuncta tumultu
Miſcuit,

(*a*) Baker.

Miſcuit, atque *Statum* ſublimem a culmine ſtravit;
Fructus hic eloquii, facundæ hæc gratia linguæ!
Nec minùs annales, et qui monumenta priorum
Ætatum ſcripſere, ſolent pervertere verum,
Lectorique ſuo pro lumine vendere fumum.
Dicitur hiſtoricæ plerumque *Herodotus* artis
Author et inventor; ſed cum dat nomina libris
Muſarum conficta ſuis, dat ſigna cerebri
Fingere diſpoſiti veterum mendacia vatum.
Non eſt *Thucydides* (criticos ſi rite recordor)
Compoſitò mendax, ſed, primo in limine, facta
Temporis antiqui queritur ſic merſa tenebris,
Ut mens nulla ſagax poterit diſtinguere verum.
Incipit a primâ *Diodorus* origine rerum,
Circuituque vago per ſingula ſæcla pererrat;
Fabellis tamen exundat, penituſque priores
Quinque nihil referunt, præter figmenta, libelli.
Græcia nec tantùm mendax: hac arte magiſtros
Roma pares habuit quondam; nam *Livius* ingens,
Dum parat imperium *Romanæ* condere gentis,
(*a*) Advehit *Æneam*, Trojano a ſanguine cretum,

Littus

(*a*) Virg.

Littus ad Heſperium, diverſa per æquora vectum,
Ilium in Italiam portans. Sed *Troïus* heros
(Si *critici* meruere fidem) fumantia nunquam
Pergama deſeruit; *Græcorum* at claſſe reverſâ,
Regna capeſſebat *Priami*, nova mœnia condens,
Nec ſua Lavinas tetigerunt Lintea fines.
Hinc patet hiſtoriæ veteris quod fama dicatur
(*a*) Tam ficti pravique tenax, quàm nuncia veri.
Scriptores logicæ, criticæ, medicæque periti,
Quique geographiam callent, et tempora certis
Annumerare docent factis, quid quique patrarunt
Arte ſuâ, memorare piget, piget atque fateri.
(*b*) *Ethica* quid pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Monſtrat, et inſtituit directo tramite mores.
Quæ retinenda forent, et quæ fugienda viciſſim
Socratis ingenium, mirumque Platonis acumen,
Ars et Ariſtotelis, monitis docuere ſeveris.
Quæ docuere tamen nullo fundamine niti
Arbitror hinc, quod Romanos doctiſſimus inter
Varro trecenta *bono de ſummo* dogmata narrat

(*a*) Virg. (*b*) Hor.

Frontibus adverſis pugnantia ſingula ſecum:
Quod nihil eſſe bonum varii duxere ſophiſtæ,
Corporeos præter guſtus; nil vile, pudendum aut
Turpibus in vitiis; tolerantes furta, et amorem
In teneros juvenes; gladio quæ crimina *Paulus*
(*a*) Deteſtanda ſui caſtigat apoſtolus oris,
Indicat et, non quas humana ſcientia normas
Excogitat, ſed quas oracula ſacra revelant,
Eſſe gubernaculum noſtræ invariabile vitæ.
Quas ſibi propoſuit natura *Scientia* leges
Phyſica ſectatur, tendenſque per avia curſu
Longinquo retegit latitantia ſemina rerum.
Quo tamen incipies verum diſquirere, cum tot
Propugnant verbis armati, cumque ſubinde
(*b*) Alterum in alterius mactatum dogmate cernes?
(*c*) Hoc etenim princeps rerum diſponitur aer,
Hic confidit aquis, hic procreat omnia flammis;
Affectat *vacuum* ſubtilis hypotheſis hujus,
Illius at *plenum* ſpatium theorema requirit;
Viribus hic fiſus propriis ſibi poſtulat uſum
Materiæ motuſque dari tantùm, quibus actis

Diviſiſque

(a) Rom. 1. (b) Virg. (c) Claud.

Diviſiſque modis variantibus, ordine ſurgent
Cuncta ſimul, cœlum, tellus, campique liquentes,
Miraque naturæ myſteria cuncta recedent.
O miſeras hominum mentes! O pectora cæca!
Quid prodeſſe poteſt atomorum inventio vobis
Perpetuo in fluxu? Num hinc explanare valetis
Ponderibus librata ſuis cur fluctuat æthrâ
Pendula terra levi? Fulcro quo innititur orbis
Immenſus ſtabili? Quo vivit machina motu?
Particulas nexu quo conſtringente cohærent
Corpora? Sol rutilos quo fonte recolligit ignes
Quotidie emiſſos, radiiſque micantibus idem
Naſcitur atque alius? Nebulæ qua aſpergine guttas
Diſtillant tenues? Pinguntur lilia pulchra
Quaque manu, proprio longè anteferenda colore
Veſtibus ornato *Solomoni* murice tinctis?
Denique vel rerum minimarum noſcere cauſas
Exuperat vires humanas: Tuque, tuæque,
Omnipotens, dextræ ſunt facta obtecta tenebris.
(a) *Chaldæi*, patuit quibus inhabitantibus amplam
Planitiem cœli partes proſpectus in omnes,

In

(a) Buch. de Sphæra.

In numeros primi ſtellas et nomina certa
Digeſſere, ſuis ſignantes aſtra figuris;
Temporis at ſpatio hæc ars degeneravit in artem
Fatidicam: Stellas mendacia vendere vulgo
Conſuluere *Magi* ſtatuentes, inde nefandam
Contraxere notam ſibi, nec leve dedecus arti.
Aſtronomi noſtri multo obſervantiùs iſtis
(a) Sidera cuncta notant tacito labentia cœlo,
Rectiùs atque docent poſitus, flexuſque, recurſuſque
Aſtrorum ſtabiles: Phænomena plurima ſed ſunt
Obvia ſpectanti, quæ ſe neſcire fatentur.
Quid varias facies lunæ facit; anne fluentum
Æquoreum ſolidumque ſolum complectitur orbe;
Partibus an cunctis ſit ejuſdem materiai:
An ſole in medio centro ſua lumina fixo
Magni orbis, lucemque ſuam tribuente planetis
Ordine diſpoſitis, motu revoluta diurno
Terra diem noctemque refert, et temperat annum:
An jubar æthereum percurrere, more gigantis
Invicti, properans ſtadium fulgentis Olympi,
Ad metam Heſperiam rapidè volat axe citato,

Præcipi-

(a) Virg.

Præcipitatque diem, tempeſtateſque reducit:
Orbis an extremus (ſint orbes ſi modò plures)
(a) Tendit in occaſum motu invariabilis uno,
Et ſolem, reliquoſque orbes, vertigine ſecum
Corripit, atque ſequi ſeſe, prope paſſibus æquis,
Cuncta ſuis cogit famulantia legibus aſtra;
Diſceptare licet, ſed non incidere litem.
Ad te nunc venio modo per tua facta vagatus,
(b) Numen adorandum; ſed vim, tonitrumque tremendum
Unde, poteſtatis tantæ, quæ voce creavit
Quodcunque aſpicio, circumque, infraque, ſupraque
Volvere perpetuo labentia ſæcula motu,
Pectore concipiam, aut verborum ambagine ſcribam?
Una quidem Deitas, una eſt eſſentia; ſed quo
Permeat illa modo tres æquo numine ſacras
Perſonas, formâque pares: Quo more coævus
Unicus emicuit genitus tibi Filius; et quo
Fluxit ab ambobus divinus Spiritus, omnes
Unus honore Deus, paribus virtutibus unus:
Numen ut immenſum nati impaſſibile cunctis
Caſibus, incluſum contracto limite ventris
Virginei,

(a) Buch. (b) Job xxvi. 14.

Virginei, fuerat noſtrâ de ſtirpe creatum,
Mortem obiit, purganſque hominum peccata cruore,
Morte ſuâ retulit clarum de morte triumphum:
Hæc ego confiteor memet neſcire libenter,
Hæc ego complecti penitus dum mente faceſſo,
Sentio me raptum, vaſtâque voragine merſum.
Fac tamen hæc ſuperare animo me poſſe ſagaci
Ardua, quid feret hæc cumulata ſcientia lucri,
Ni mihi me, ſanctumque Deum mihi reddat amicum?
Doctior eſt Satanus, majorque ſcientia pectus
Poſſidet infernum, multis inolevit et ævis,
Quàm genus omne virûm novit, vel noverit unquam.
Quid tamen inde boni capiet? num tela repellet
Incenſi violenta Dei? num leniet iram
Vindicis, aut facti veteris ſcelus omne piabit?
An magis augeſcet culpam, culpæque dolores?
Scire ſuum ſua pœna manet deterrima: nam quò
Altiùs aſcendit ſophiæ ſublime cacumen,
Hoc magis inſpectat grave et irreparabile crimen,
Interitumque ſuum, quali ceciditque ruinâ:
Hoc magis et ſentit cruciatûs verbera ſæva,
Suppliciumque ſuum; genus ah! miſerabile pœnæ,

Occultum

(a) Occultum quatiente animo tortore flagellum.

His patet exemplis humana ſcientia qualis
Eſt pretij, quantis et mens obducta tenebris
Pro veris ſimulacra petit fallacia formis.
Dum tamen hæc agimus, veniet damnoſa ſenectus,
Quæ priùs obtundet labefactæ mentis acumen;
Deſtruet idæas, et quæ cognovimus ante
Exiget ex animo, patuloque ſimillima cribro
Mens oblita ſui tunc effluet undique rimis.
(b) Singula de nobis anni prædantur euntes;
Deripiunt ſenſus, cum lumine corporis obdunt
Lumen et ingenij: Nam nuper qui ſale multo
Urbem defricuit (valuit dum firmior ætas)
Cuique dedit natura loqui dulce atque facetum,
Et quicquid valuit chartis mandare profundi,
Nunc ſellâ recubans, vel lecto fixus in ægro,
Triſtis imago ſui jacet, et ſine nomine corpus.
Sin licet effugimus ſenij mala fata, repentè
Inſtat ſumma dies, et ineluctabilis hora
Mortis, quæ pariter fatuos, doctoſque ſophiſtas
Sternet humi, cujus ſub vulnere cuncta ruinâ

(a) Juv. (b) Hor.

Subſident varios quæ hominum exercere labores:
(a) Poſt cineres etenim ſtultus reminiſcitur æquè
Ac ſapiens, et qui nunc ſunt in honore libelli
Tempore venturo, penitùs ſua nomina perdent,
Cum blattis tineiſque diu rixantibus illis.
Hæc quoniam manifeſta patent, pervolvere chartas,
Angere ſe ſtudiis, docto indulgere labori,
Quorſum pertinuit morituro? Cuncta repleta
Sunt loca codicibus; procerum nam quemque ſuperbum
Muſæum ſpectare juvat, libroſque micantes
Auratis foliis, licet haud tractaverit ullum.
(b) Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Enumerare queam, quot, *Roma*, volumina veſtra
Bibliotheca tenet; variis *Oxonia* vel quot
Stipat apothecis, pluteis ſudantibus alto
Pondere doctorum, quos fama obſcura recondit.
Copia librorum cum tanta ſit undique, plures
Scribere, et immenſum rivis angeſcere pontum
Quorſum pertinuit morituro? Cuncta vetuſtas
Protulit authores varios, et procreat ætas
Præſens innumeros genij fælicis alumnos,

Illibata

(a) Eccl. ii. 16. (b) Virg.

Illibata quibus nulla argumenta ſuperſunt.
Nil dictum quod non dictum priùs: Ergo retuſos
Rumpe miſer calamos; chartam maculare lituris,
Scriptorumque tuum numero præfigere nomen,
Quorſum pertinuit morituro? Turba virorum
Doctorum, vixere quoad, quos inclyta fama
Laudibus evexit, gelida nunc morte recumbunt;
Quorum ſcripta ſitu, turpique rubigine tecta
Mox tineæ rodent, mox funere merget eodem
Scriptores, et ſcripta ſimul, violentia fati.
Abbreviare dies ſtudiis, et ſcrinia chartis
Multa replere brevi victuris (nil miſeranti
Quod plane eſt toties mactare piacula letho)
Quorſum pertinuit morituro? Sed mihi reſtat,

IV. Exemplo memoranda meo dictamina regis
Ut rata demonſtrem.

Quod vulgo anteferor, non ſum deſpectus arator,
Nauta vagus, vel foſſor inops; non turpis agaſo,
(a) Caupo vel obſcuro vendens mea ſcruta popello;
Cauſa fuit genitor, ſobolis qui ſummus amator

Noluit in ludum, noſtri inter ruris alumnos,
Mittere me, numeros a Præceptore docendum
Vulgares ſtolido; mihi ſed meliora minatus,
Majoreſque volens nido me extendere pennas,
Suppoſuit linguâ doctori in utrâque perito,
Fautori egregio genij juvenilis: ob hoc nunc
(a) Laus illi debetur, et a me gratia major.
Mox pubeſcentem me Academia clara recepit:
Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum;
Quærere quid verum, quo certo fine beatum
Dirigitur, quæ norma boni, qui limes honeſti;
Singula naturæ phænomena mente ſagaci,
Et miranda Dei ſapientis facta notare.
" Alma parens, ſalve, totidem quæ dulcis alumnos
" Nutrîſti gremio, totidem quæ lacte benignè
" Foviſti Aonio, quæ pulpita ſacra replêſti,
" Quæ fora, juridicum ſolium, magnumque ſenatum,
" Facundis clariſque viris! has, quas tibi mitto
" Accipe filioli grates, hoc munus ab illo,
" Qui memor uſque tui vivet, nec degener uſquam.
Me ſi fata meis voluiſſent ducere vitam
(b) Auſpiciis, et ſponte meas componere curas,

Hac

Hac in muſarum latuiſſem ſede beatus,
Tutus ut in portu, nec tempeſtatibus actus
Inſtabilis mundi: ſed me tulit unda reſorbens
In mare præcipitem, et multos perferre labores,
Multa indigna pati, curis ingentibus angi,
Impulit, adverſâque diu contendere ſorte.
Hos inter vitæ caſus, me ducere adegit
Sydus, et occulti miranda potentia fati,
Uxorem ſine dote, tametſi maxima dos ſunt
Intemerata fides, virtus, moreſque pudici,
Atque animus removere ſui vel ferre paratus
Conjugis ærumnas. Dedit hæc mihi plurima amoris
Pignora chara ſui, ſed me majoribus inde
Sumptibus expoſuit: Quâ conditione quid egi,
Et quid ſuſtinui, teneros educere fœtus,
Semper inops, dubiæ ſemper ſpe pendulus horæ,
(a) Nunc animus meminiſſe piget, luctuque refugit:
In gremium tandem me Eccleſia noſtra recepit,
Preſbyteroſque ſuos juſſit numerarier inter,
Juſſit et afflictis meliùs confidere rebus.
Sed ſine Divitiis, aut Mæcenate benigno,

Qui

(a) Virg.

Qui te commendet, teneas licèt omne quod uſquam
Doctrinæ genus eſt, hoc non de fæce popelli
Te vehet, aut merito nomen dignetur honore.
Ite procul, Libri, ſterileſque valete Camœnæ,
Nunc via proceſſûs longe fælicior, ævis
(Tempore ſic ſapimus) ſecluſa prioribus, extat.
Omnibus in ſæclis augeſcat fama ſuperſtes.
Præſulis iſtius, qui ſummum nactus honorem
Ipſe novis methodis, et non ſibi commodus uni,
Ingeniis patefecit iter mediocribus aptum——
" Non nimis attentè quærendo myſtica ſacri
" (*a*) Codicis, aut veterum volvendo ſcripta patrum nunc
" Rancida; quæ quondam ſynodi decreta tulerunt;
" Quidve recordârunt æræmonumenta vetuſtæ;
" Cuncta hæc ſordeſcunt: nitidâ ſed veſte togâque,
" Mane ſalutando procerum ſublimia tecta,
" Inque dies alios viſendo, ac ordine cunctos
" Laudibus, obſequio, blando et ſermone ſequendo,
" Queis prodeſſe datur, queis eſt conceſſa poteſtas
" Quò libet in templo vacuam conferre cathedram,
" Moxque mitram, (*b*) modo *ſis gallinæ filius albæ.*"

Hujus

(*a*) Vide Difficulties and Diſcouragements. (*b*) Juv.

Hujus ego aucupij non gnarus, et inſcius artis
Semper adulandi, ſtatui, mecumque revolvi
Diverſam tentare viam, quâ me quoque poſſem
(a) Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.
Poſt varios caſus, et poſt tentamina multa
Irrita, me tandem paupertas impulit audax
Ut facerem libros, poſt funera noſtra legendos.
Nec venæ vulgaris erant (liceat mihi laudes
Oſtentare meas; (b) ita divus apoſtolus illis
Fecit in opprobrium, qui contempſere labores
Præconum, mundi qui nos docuere ſalutem,
Quique ſui memores alios fecere merendo)
(c) Cuncta, ſacerdotes Chriſti quæ ſcire neceſſe eſt,
Digeſſi, referens membratim corpus in unum,
Ordine quæque ſuo; (d) primâque ab origine mundi
Hiſtoriam ſacram ducens, nectenſque profana
(Magnæ molis opus) multo ſedori peregi.
Nec minus (e) expoſui puro ſermone notiſque
Symbolum Apoſtolicum, myſteria cuncta recludens
Quoſque per articulos; (f) ubicunque apparuit hoſtis
Hæreticus fidei, qui Religionis avitæ

Fundamenta

(a) Virg. (b) 2 Cor. ii. (c) Body of Divinity. (d) Hiſtory of the Bible. (e) Expoſition of the Creed. (f) Anſwer to the Antiſcripturiſt.

Fundamenta ſuis voluit ſubvertere libris,
Protinus oppoſui memet: Si Pergama dextrâ
(*a*) Defendi potuere, meâ defenſa fuerunt.
Nec mihi defueram procerum mandare potenti
Scripta patrocinio: Princeps, quem Wallia dixit,
Præſidium, decus atque ſuum, nunc lumine caſſum
Flemus, et ereptum nobis; Dux inclytus, addunt
Cui (*b*) *nova caſtra* ſuos titulos; variique verendæ
Ornamenta togæ, famæ quos candida virtus
Dedicat æternæ, ſunt teſtes: Tu quoque partem
Laudibus in noſtris (*valuiſſem o*) noſter haberes
Maxime Pontificum, mea ſpes, mea magna voluptas.
Ter conatus eram meritas tibi pingere laudes,
Ter cecidere manus, veritæ ne culpa pateret
Debilis ingenij, veritæ ne inſignia famæ
Me premerent præclara tuæ, ſolemque propinquans
Ardentem pennis reſeratis muſa ruinam
Præcipitem traheret, cœptis audacibus impar.
Deniquenil curæ, quod me popularibus auris,
Magnis ſcripta viris quod commendaret, omiſi.
Quæ tamen inde ſeges, terræ quis fructus apertæ?

Nempe

(*a*) Virg. (*b*) Newcaſtle.

Nempe locus, minas qui quinquaginta quotannis
Vix valet, inter eos, * queis noxia crimina cordi,
Inſidiæ, fraudes, rixæ, mendacia, furta;
Præcipuè ſanctos queis defraudare miniſtros,
Corde venenato odiſſe, laceſſere dictis,
Religio eſt; *mihi væ miſero hic habitare coacto!*
O ſedes Richmonda, meis ubi congrua votis,
Et genio reperi commercia digna polito.
Charus ubi cunctis, multo et dignatus honore
Undique, complures traduxi ſuaviter annos!
Aſcendens ubi roſtra meis ſermonibus aures
Attentas habui ſemper, menteſque paratas
Conſilium cœleſte ſequi! ſed quiſque ſacerdos
Eſt odio hic, ſordentque rudi ſua verba colono.
Scilicet ad Templum veniunt, ſed noſtra videtur
Ædes ſacra Dei domus et penetralia ſomni.
Namque, ubi ſuggeſtum accedo, ſe protinus omnis
Componit cœtus, ſolitus dare membra ſopori;
Oſcitat, aut hiſcit recubans, ſtertitve ſupinus;
Et, licet exuperem Ciceronem dulce loquendo,
Stentora clamando, ſermonem edormiet omnem.

* Paucis exceptis.

Væ mihi (dico iterum) *misero hic habitare coacto!*
Ne vos detineam: studiorum hæc summa meorum est,
Hæc series vitæ multos revoluta per annos.
Quisque suos patimur manes: Frustratio crebra
Evenit, et ventis conamina nostra feruntur.
Sors mihi paupertas, hæc contigit; hanc fero lætus:
Nec cuiquam invideo nato melioribus astris:
Quos successus alit, quibus hoc, Fortuna, dedisti,
Ditescant; tibi me, *Pater alme*, resigno libenter
Quid mihi conveniat, rebusque sit utile nostris,
Me melius nôsti: tantum mihi porrige dextrâ
Quod satis est, parcâ licet, et nihil amplius apto,
(a) Nam mihi res, non me rebus submittere conor.
Ut finem faciam sermonis: quando labores
Continui, irrepens cum paupertate senectus,
Vana voluptatis species, verique dolores,
Sic comitantur eos, qui multa volumina condunt;
Hanc tu vivendi methodum vitare memento:
Sirenum voces, et Circes pocula tanquam
Surripiet tibi te: Potius sis verna pedestris,
Portitor urbe agilis, vel durus rure colonus,

Quàm

(a) Hor.

Quàm vel *Ariſtoteles, Xenophon, Plato, Zeno, Cleanthes,*
Acriter eſuriens, pannis atque obſitus annis.
Pro me pauca loquar. Satis exantlâſſe laboris
Me vitæ in curſu, ſatis incubuiſſe libellis,
Omnibus eſt notum, et quàm ſit mihi curta ſupellex.
Jam ſatis hoc ſaxum volvi; melioribus annis
Succedant alij, quos ſe macerare legendo,
(*a*) Et quos nocturnis juvat impalleſcere chartis:
Decretum eſt quodcunque mihi ſupereſſe fugacis
Fata ſinent ævi, ſanctis impendere curis,
Invigilare animæ. Deus hoc mihi ſoſpitet auſum,
Ætatis valeant et nugamenta prioris:
Hic ſtudia, his verſus, et cætera ludicra pono.

(*a*) Per.

FINIS.

ERRATA.

L. 47, *pro* cutiant—cruciant. 57, *pro* poculis—pateris. 168, *pro* gratulare—celebrare. 215, *pro* et—atque. 268, *pro* ſpumantia—tenacia. 404, *pro* elegantibus—nitentibus. 422, *pro* hæc—qui. 459, *pro* bombycinas—ſplendidulas. 599, *pro* cogitant—reputent. 609, *pro* cogitat—cenſet. 624, *pro* meditari—cogitare.

Væ mihi (dico iterum) *miſero hic habitare coacto!*
Ne vos detineam: ſtudiorum hæc ſumma meorum eſt,
Hæc ſeries vitæ multos revoluta per annos.
Quiſque ſuos patimur manes: Fruſtratio crebra
Evenit, et ventis conamina noſtra feruntur.
Sors mihi paupertas, hæc contigit; hanc fero lætus:
Nec cuiquam invideo nato melioribus aſtris:
Quos ſucceſſus alit, quibus hoc, Fortuna, dediſti,
Diteſcant; tibi me, *Pater alme*, reſigno libenter
Quid mihi conveniat, rebuſque ſit utile noſtris,
Me melius nôſti: tantum mihi porrige dextrâ
Quod ſatis eſt, parcâ licet, et nihil amplius apto,
(*a*) Nam mihi res, non me rebus ſubmittere conor.
Ut finem faciam ſermonis: quando labores
Continui, irrepens cum paupertate ſenectus,
Vana voluptatis ſpecies, verique dolores,
Sic comitantur eos, qui multa volumina condunt;
Hanc tu vivendi methodum vitare memento:
Sirenum voces, et Circes pocula tanquam
Surripiet tibi te: Potius ſis verna pedeſtris,
Portitor urbe agilis, vel durus rure colonus,

Quàm

(*a*) Hor.

Quàm vel *Ariſtoteles, Xenophon, Plato, Zeno, Cleanthes,*
Acriter eſuriens, pannis atque obſitus annis.
Pro me pauca loquar. Satis exantlâſſe laboris
Me vitæ in curſu, ſatis incubuiſſe libellis,
Omnibus eſt notum, et quàm ſit mihi curta ſupellex.
Jam ſatis hoc ſaxum volvi; melioribus annis
Succedant alij, quos ſe macerare legendo,
(*a*) Et quos nocturnis juvat impalleſcere chartis:
Decretum eſt quodcunque mihi ſupereſſe fugacis
Fata ſinent ævi, ſanctis impendere curis,
Invigilare animæ. Deus hoc mihi ſoſpitet auſum,
Ætatis valeant et nugamenta prioris:
Hic ſtudia, his verſus, et cætera ludicra pono.

(*a*) Per.

FINIS.

ERRATA.

L. 47, *pro* cutiant—cruciant. 57, *pro* poculis—pateris. 168, *pro* gratulare—celebrare. 215, *pro* et—atque. 268, *pro* ſpumantia—tenacia. 404, *pro* elegantibus—nitentibus. 422, *pro* hæc—qui. 459, *pro* bombycinas—ſplendidulas. 599, *pro* cogitant—reputent. 609, *pro* cogitat—cenſet. 624, *pro* meditari—cogitare.

MVSEVM
BRITAN
NICVM